

**I. FEBRVARII.  
DE S. EPHRÆM SYRO EDESSÆ IN  
MESOPOTAMIA,  
S. P. N. EPHRÆM NARRATIO AD  
MONACHOS DE SVA CONVERSIONE.**

**Interprete & scholiaste Gerardo Vossio.**

**CAPVT I.**

**Ephræm & duo concaptiui,  
falso crimine accusati,  
etsi alterius vere rei.**

**Sanctus Abbas Ephræm, accedentibus ad ipsum Fratribus,  
de seipso vtilitatis caussa enatravit, dicens:**

**[1] Quando adhuc puer essem, incompositis moribus  
extiti. [Ephræm vaccam insectando occidit;] Quodam  
igitur die parentes mei in suburbana extra ciuitatem  
miserunt me: quo dum abirem, reperi per viam in medio  
siluæ iuencam vnam, ferentem vterum, pascentem; erat  
autem pauperis cuiusdam iuenca. Acceptis ergo  
lapidibus persequi cœpi iuencam per siluam. Tantopere  
autem eam insecutus sum lapidibus, ad profundam vsque  
vesperam, (erat enim vicina partui) quousque in terram  
caderet, in interiores partes siluæ, & postremum pedum  
crepitum ederet: relicta igitur illa mortua secessi,  
noctuque feræ deuorarunt eam. Obuiam autem in eadem  
silua habui pauperem, cuius erat iuenca, quærentem  
illam: qui me interrogabat: [seni eam quærenti illudit:]  
Fili, nonne sæpe occuristi iuencæ prægnanti in silua  
ista? Ego vero non solum non respondi ipsi, sed etiam  
contumeliis illum per summam iniuriam oneraui.**

[2] **Accidit autem post mensem dierum, vt me iterum parentes mei ad suburbana mitterent: [pernoctans cum pastoribus,] Cum igitur irem, aduesperascere mihi cœpit, dum adhuc essem in via. Inuenerunt aurem me pastores ouium in silua, & dixerunt ad me: Frater, quo pergis hora ista? Ad quos ego: Parentes mei vsque ad suburbana me miserunt, & eo proficiscor. At illi: Inclinata iam est dies, & aduesperascit, quare, huc ad nos diuerte, & apud nos quiesce; mane reliquum viae perficies. Vt ergo secessi ac mansi apud eos, nocte illa in caulam feræ irruerunt, quæ gregem per silvam disperserunt. Apprehenderunt autem me domini gregis, obiicientes quod ego fures induxissem, qui gregem ouium inuasissent, dispersissentque. Mihi vero neganti, & iuranti nullam in me culpam residere, non crediderunt, [grege a lupis disperso vt furum ductor] sed perstiterunt dicere, quod ego suffuratus essem, dispersissemque illorum oues. Demum ergo me cubito ligatum tradiderunt Prætori, qui me detrudendum mandauit in carceres: vbi duos viros vinctos reperi, quorum alter falso insimulabatur homicidij, alter vero adulterij.**

[3] **[coniicitur in carcerem.] Peregi autem in carcere dies quadraginta: post quos, mihi dormienti adstitit adolescentulus quidam, aspectu terribilis, ad me placida voce dicens: Ephræm, quid in isto agis carcere? Ad quem ego: Domine, aspectu tuo ita sum percussus, vt omnes me vires deficient. Ad me autem adolescentulus: Noli timere, sed dic mihi caussam tuam. Sumpta igitur maiori ex mansuetis illius verbis fiducia, cum multis lacrymis dixi ad illum: [ex Angelo intelligit se ob prius crimen id pati:] Domine, Domine, missus sum a parentibus meis ad suburbana, & me vespera oppressit in via; inuenerunt autem me pastores ouium, qui me apud se detinuerunt: eademque nocte ouile inuaserunt feræ, quæ vniuersum gregem disperserunt. Tenuerunt autem me domini ouium, obiicientes, quod fures ego adduxissem, qui gregem**

ouium suarum inuasissent dispersissentque: quare vinctum me tradiderunt Prætori. Ego autem insons sum, Domine, & illi iniuste me calumniati sunt. Atque ille vultu subridens; Et ego, inquit, te culpa vacantem noui, quod ad hoc attinet, illamque mere calumniam esse. Scio tamen, quid paucis ante diebus egeris, quomodo lapidibus insecutus sis iuencam pauperis viri, eamque occideris. Intellige ergo non esse iniustitiam apud Deum: sed iudicia Domini abyssus multa. [Psal. 35. 7.] Et vt cognoscas viros quoque istos, qui tecum detinentur in carcere, extra culpam esse in eo super quo accusati sunt, [concaptiuorum alter falso homicidij,] & in vincula coniecti. Verum interroga illos, & intelliges illos non intempestiue vinculis istis detineri: vt scias quod iustus sit Dominus, & iustitias dilexit. [Psal. 10. 8.] Et hoc referens, qui mihi apparuit adolescens, euanuit.

[4] Mane autem facto, vocatis ad me viris, qui mecum in carcere erant, dixi ad illos: Fratres, ob quam caussam inclusi estis carceribus istis? Respondit autem vnus ex illis: Ego homicidij crimine implicor, verum huius culpa vaco. Et alter, Detineor, inquit, caussa adulterij, [crimine captus,] & huius quidem sum criminis expers. At ego ad ipsos plane: Verum quænam sunt a vobis grauia commissa peccata, ob quæ permissi estis a Providentia hisce criminibus & accusationibus implicari? Cui alter ille, qui ob homicidium detinebatur: Vere ego vobis peccatum meum enuntiabo. Ante paucos hos dies pertransibam pontem fluuij extra ciuitatem; alij autem duo viri post me veniebant, inter quos suborta est contentio, atque adeo ad manus ventum est, cumque alter in alterum inualuisset, deiecit illum ex ponte desuper in fluuium, [antea pereunti noluerat succurrere:] & abiit. Cumque ego pertransirem, potuissem illi manum præbere, & extrahere eum ex fluuio, ne moreretur: at illo vociferante, & opem meam cum multis lacrymis implorante, vt illi manus porrigerem, ego nolui, sed illo relicto, abij. Vt

autem multum diuque luctatus esset, nec aqua exire posset, sustulit illum vnda fluuij, & periit, me adstante & inspectante. Istud meum est peccatum, & certo scio, quod illius caussa permisit me Deus calumniis premi, & in carcerem istum detrudi: non enim est iniustitia apud Deum. [2. Par. 19. 7.]

[5] Dixit vero & alter, qui accusabatur adulterij: Commemorabo & ego peccatum meum? Ante duos hos annos res contigit eiusmodi: Erant duo fratres milites, quibus magna obuenerat a parentibus hæreditas, quam cum nondum inter se diuisissent, illorum soror vidua eam partem requirebat, quæ ad se pertineret. Fratres autem, cum nollent ei quidquam dare, [alter adulterij falso accusatus,] caussam quærebant, qua illam possent de patrimonij possessione deiicere: ac proinde calumniis ambo sororem propriam obruere studebant, quod in fornicatione vixisset, asserentes se istius rei testes habere. At puella iureiurando affirmabat, [antea in insontem adulterij testis:] se illius consciam non esse quod obiiciebatur. Istis vero adseuerantibus se rem eam probaturos; conuenit inter illos in præsentia testium, si eam de fornicatione conuicerint, protinus eam hæreditate ac patrimonio paternorum bonorum excludendam. Venerunt ergo ad me fratres ambo, rogantes vt me ante faciem sororis sisterem, eamque testimonio meo simul cum ipsis premerem atque conuincerem de fornicatione reuera per ipsam commissa, & quod illius conscius essem, vt possent exhæredem illam paternorum suorum bonorum & patrimonij facere; & Dabimus, inquiebant, tibi quinquaginta numismata. Ego autem accepta conditione, me ante faciem puellæ constitui, mihiqve vere de facto illius constare, quod scortata esset, asseueraui, licet verum non esset: & sic eam bonis paternis eiecimus, & exhæredem patrimonij sui declarauimus. Atque hoc meum est peccatum quod commisi. De adulterio autem,

cuius nuper accusatus sum, & cur hoc in carcere detineor, non habeo culpam.

[6] Dixerunt autem ambo ad me: At tu, frater, [his Ephræm crimen falso sibi impositum,] quam ob causam in istos coniectus es carceres? Atque ego ad illos: Ante duos hos menses miserunt me parentes mei ad suburbana extra ciuitatem, & quia ad vesperum inclinabat iam dies cum adhuc essem in via, detinebant me pastores ouium, vrgentes vt manerem apud eos. Nocte vero illa lupi oues adorti, vniuersum gregem dissiparunt. Domini autem, allegantes quod ego fures subornassem, qui raperent atque dispergerent oues gregis, me apprehensum, ac vinculis constrictum, tradiderunt Iudici: atque hæc est causa, cur isto carcere detinear. At viri ad me: Numquid aliquando delictum aliquod ipse commisisti, propter quod Diuina prouidentia te permiserit in eiusmodi deuenire periculum, & in istum detrudi carcerem? Ad quos ego: Ipsam rei veritatem vobis aperiam, dicamque quid egerim: Multum cum essem instabilis ac dissolutus per peccata mea, [& verum aliud, narrat.] missus sum quodam die in suburbana nostra a parentibus meis: quo pergens, offendi quamdam iuencam prægnantem in pascuis siluæ, arreptisque lapidibus insequi eam cœpi per siluam, & tamdiu quidem eam lapidibus sum insectatus vsque ad vesperam, quoad illam in interiores recessus siluæ conieci: erat autem partui proxima, quare cecidit ex cursu, & animam supplodendo pedibus efflauit. Erat autem iuuenca pauperis cuiusdam viri, quam vt iam vidi mortuam, reuersus occurri in via pauperi illi, cuius erat iuuenca, flenti, eamque quærenti. Atque ego interrogatus ab illo, numquid iuencam suam vterum gerentem alicubi vidissem; non solum non respondi, verum etiam contumeliis illum quam plurimis oneraui: & istud peccatum est quod commisi.

## Annotata

**De hac in animantibus pedum extensione & crepitu sub mortem, agit Vossius scholio 3.**

**Quomodo ergo in Testamento cap. 1 nu. 2. ait, In tota vita mea nemini proisus maledixi? Post conuersionem, inquit Vossius. Ipse quoque in Conuersione fatetur se puerum contumeliosum fuisse, percussorem, seditiosum &c.**

## **CAPVT II.**

### **Sociis post quæstionem absolutis, Ephræm ampliatur.**

**[7] Postridie autem Iudice pro tribunali sedente, constituerunt coram illo tripassalum, [torquentur socij:] & quæcumque alia tormentorum genera: iussitque nos subiici quæstionibus. Ingressi sunt igitur carcerem apparitores, & nos ferreis eculeis constrictos, & toto corpore alligatos obtulerunt Iudici. Prætore autem mandante vinctos adduci, primum illum, qui homicidij accusatus fuerat, vestibus nudatum adduxerunt in medium conspectus omnium, catena ferrea ligatum. At Prætore interrogante illum, vt veritatem confiteretur, antequam tormentis subiiceretur, ac quomodo homicidium illud commisisset; constanter dixit se culpa vacare, & plane innocentem in eo cuius accusatus erat. Vnde iussit illum tormentis subiici. Cum autem diutius in tortura fuisset, apparuissetque eius innocentia, mandauit Prætor ipsum liberari. Deinde imperauit adduci secundum, qui delatus erat ob crimen adulterij; quem etiam vestibus exutum, mutato habitu produxerunt in medium. Quo facto ingens timor ac tremor inuasit me, præsertim cum certum tenerem, quod & ego prorsus in medium producendus forem, sicut & ceteri. Vnde demum plorabam atque tremebam, ac præ nimio timore animum deiiciebam. [Ephræm flet & trepidat:] Adstantes vero populi atque apparitores, me tremebundum simul ac**

lacrymabundum conspicientes, irridebant, cum dicerent: Quid ploras puer? quando scelus admittebas, non metuebas; iam flere vis, quando nihil proficis? Noli timere. Iam iam & tu in medium proditurus es. Dum vero verba ista audirem, amplius liquefacta est in me anima mea.

[8] Altero autem iam quæstionibus torto ac innoxio reperto, Prætor censuit eum absoluendum; me interim vinculis ferreis constricto, [illis dimissis, in carcerem reducit:] eiusque iussu in carceres detruso; vbi solus alios quadraginta peregi dies: & adducunt apparitores in eundem carcerem tres alios viros vinctos, quos compedibus cum obstrinxissent, recesserunt. Egi autem cum viris illis in carcere dies alios triginta. Contigitque rursus assistere eum mihi secundum quietem, qui antea adhuc apparuerat, & dicebat ad me: Quid est Ephræm? Interrogasti viros illos, quos reperisti in carcere? Atque ego ad illum: Imo vero Domine, retulique ei cuncta, quæ a viris illis mihi dicta erant. [instruitur denuo ab Angelo:] Et ipse ad me: Cernis iustum iudicium Dei. Vt autem cognoscas, qui tres illi sint, qui tecum hodie inclusi sunt carceribus; duo ex illis sunt, qui falso sororem propriam fornicationis accusauerant, eamque sic paterna sua hæreditate spoliauerant, sicut & tibi recensuerunt. Alius vero est, qui hominem præcipitavit in flumen, vbi etiam interiit, vti ab eodem tibi relatam est: & hæc dicens, a me recessit.

[9] Mane autem iam facto, vocatis ad me tribus illis viris, qui eodem mecum detinebantur carcere, rogavi eos, vt reuera mihi causam edicerent, ob quam in carcerem istum coniecti essent. Et duo fratres ad me: Crede Domine Frater, nos ob nostra detineri peccata; & alter quasi cædem fecerit, alter quasi adulterium commiserit, verum innocentes ambo sumus. Tertius autem; Et ego, inquit, causa peccatorum meorum ob cædem patratam hic

detineor. Atque ego ad illos: Verene homicidiorum rei estis, aut falso accusamini? Et illi ad me: [tres alij vetera sua crimina ei aperiunt,] Omnino, Domine Frater, ob nostra peccata: sed in eo reperimur innocentes, cuius accusati sumus. Ego vero cupiens certior fieri, num vera essent, quæ dixerat ille, qui in somnis apparuerat, dixi: Fratres, num alia quæpiam a vobis prius commissa erant crimina, vt iusto iudicio ad extremum in graues hasce accusationes incideritis? Duo autem fratres dixerunt: Crede frater, soror nobis vnica est vidua, pia admodum ac Deum timens, quam cum paterna cuperemus hæreditate spoliare, falso adulterij criminis eam accusauimus: subornauetamus autem & falsum testem aduersus sororem nostram, & sic ipsam hæreditate priuauimus. Alius vero Et ego, [& priori intellecto iudicio, Deum laudant.] inquit, cum alio quodam flumen præteribam; & dum pontem transiremus, contentione inter nos oborta, e sub limi pontis eum præcipitavi in flumen, & periit. Ego autem cuncta ipsis, quæ mihi acciderant, enarrabam; & quæ de duobus viris in carcere repertis cognoueram, quorum alter quidem aduersus sororem falso deposuerat; alter autem manum illi non præbuerat, quem in flumen præcipitauerat, ne moreretur, cum saluare eum potuisset ex aqua. Quæ viri illi audientes, magno timore correpti sunt, iustumque Dei iudicium suspexerunt, & collaudarunt, dicentes: Vnus est Deus, qui facit mirabilia solus. [Psal. 71. 18.] Ceterum flere cœpimus, magna cum anxietate finem expectantes.

### Annotata

Multa de eculeo habet Baronius Notat. ad Martyrol. 22. Ianuarij, quibus hic locus vix congruit. At fortassis interpres eculei vocem non apte intersit.



### CAPVT III

**Aliis tribus damnatis, iterum ampliatur:  
tandem absolutus, fit monachus.**

[10] Postridie ergo Iudice pro tribunali publice coram populo sedente, omnibusque iterum tormentis ante eum constitutis, iussit nos in quæstionem adduci. Intransibus autem tortoribus in carcerem, [tertio sistitur Iudici:] catenisque ferreis collo nostro impositis, traxerunt nos per medium ciuitatis, vt nos Iudici sisterent. Tota autem ciuitas eo confluit ad spectaculi necessitatem. Vnde Iudex mandauit duos illos fratres nudatos adduci in medium: at lictores cum eos exuissent, & composuissent, in quæstionem adduxerunt; vtrumque nostrum coram illis, qui iam torturæ subiiciebantur, statuentes. Ego vero eiusmodi cernens horrorem, [sociis crimina, in quæstione fassis,] flebam. Et ministri ad me: Crede puer, dicebant, quamuis istud alia vice euaseris illæsus, modo non sic euadere poteris; sed tormenta ista, quæ vides, hodie experiri cogeris. Atque ego hæc audiens cernensque, [& damnatu,] animo vehementer consternatus sum, & expaui. Iussu autem Iudicis, ad gyrum rotæ appensi fuerunt duo fratres: quibus per complures horas excruciatas, tandem etiam fraudem atque iniuriam, quam propriæ sorori intulerant, confessi sunt, seque ambos adulterij ac homicidij reos esse. Iudex autem sententiam aduersus eos tulit, vt amputata manu eorum dextera, adhuc in furcam adigerentur. Atque ab his accepta sententia, mandauit Iudex & alium quæstionibus subiici: quo nudo adducto, eum ad rotam appendi & torqueri iussit, eoque aliquamdiu sic appenso, acriterque extorto, etiam homicidium est confessus, quod recens patrarat, ac quomodo alium hominem in flumen præcipitasset, vbi periit. At Iudex aduersus eum sententiam pronuntiauit, vt ambabus amputatis illi manibus, poneretur in furca.

**[11] Qui dum sententiam accepisset, dixit Iudex: Exuentes iuuenem, producite & eum in medium. Ministri autem detractis mihi vestibus, laceris me pannis induerunt, & sic me nudum ad Iudicem adduxerunt. Ego autem amare flebam & Deum inuocabam, [ipse torquendus, vouet se futurum monachum] dicens: Domine omnipotens, salua me ex ista necessitate, vt digne fieri queam monachus, & tibi inseruiam. Prætor autem mandauit ministris, vt me quatuor ex partibus distentum loris, boum nervis cæderent. Vnde Assessor Prætoris, ad ipsum: Domine, reseruetur iste, si placet, in aliud iudicium; quoniam & iam tempus est prandij. Prætor autem me ferreis constrictum vinculis reducendum curauit ad carceres, vbi solus egi alios viginti quinque dies.**

**[12] [quæstio differtur:] Exhibuit autem se rursus tertio, qui mihi in somnis visus erat adolescens, & dixit mihi: Quid est, o Ephræm? certusne iam es, quod iusto iudicio Deus mundum gubernet, & iniustitia apud ipsum non est? At ego ad ipsum: Imo Domine, certior sum factus, quod mirabilia sunt opera Domini, & imperuestigabiles viæ eius. Cœpi autem multis cum lacrymis obsecrare eum, dicens: Fecisti Domine magnam hanc iustitiam cum seruo tuo, & in visione tua consolatus es infirmitatem meam: miserere mei famuli tui, & educ me de carcere isto, vt merear fieri monachus, & inseruire Domino Christo. Ipse autem vultu subridens, dixit mihi: Adhuc semel examini subiicieris, & dimitteris. At ego rursus ad ipsum: Domine pertimesco minas Iudicis, ac plagas reformido. Ipseque iterum subridens vultu, ad me; Oportebat, inquit, te quidem modestum esse, neque detrudi in istum carcerem: sed quando ob immodestiam tuam huc intrasti, quid possum tibi præstare? [ab Angelo intelligit, se liberandum:] Verumtamen ne timeas, non multis subiicieris. Veniet alius Iudex, qui te liberabit. Et hoc dicens, recessit.**

[13] Ego interim multum anxius hærebam, expectans quemnam tandem sortituræ finem essent res meæ. Post quinque itaque dies aduenit alius Iudex, qui erat familiariter versatus in domo meorum parentum: alter vero, cum successorem accepisset, me solum vinctum reliquit in carcere. Peregit autem, qui aduenerat, Iudex in ciuitate dies septem, & interrogauit custodiæ publicæ Præfectum, num vincti detinerentur in carcere? Illoque respondente, quemdam adolescentem certa de causa vinctum detineri. Octauo die iussit comparari processum: eoque pro tribunali sedente, mandauit in quæstionem me produci. Apparitores autem in carcerem venientes, imposuerunt collo meo catenas ferreas, & publice me in iudicium abripuerunt. Iudice vero mandante, me denudarunt, & laceris pannis contexerunt. [novo Iudici sistitur:] Sicque me in medium statuerunt, ac Iudici præsentarunt. Videns autem me Iudex, agnouit: verumtamen ex legum rigore vltius inquisiuit. Et iam cognoscens, quod falso accusatus detinerer, [cognita innocentia liberatur:] iussit me dimitti. Tunc ministri solutis vinculis, quibus ligabar, redditisque vestimentis, atque iis indutum dimiserunt me. Ego autem præter expectationem saluatus, e vestigio ac sine vlla mora in montem ascendi, [fit monachus.] ad magnum venerandumque senem: ad cuius ego pedes procidens, enarratisque ei cunctis, quæ acciderant, assumpsit me in monachum. Porro ista vobis vtilitatis ergo recensui, Fratres: vt & vos eiusmodi audientes, vnanimiter mecum glorificetis Deum, qui omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis peruenire. Ipsi honor & gloria, in secula seculorum, Amen.